

rach. 18, 30.). Audivi et illam ex munere tuo, quam multum amavi: Neque si manducaverimus, abundabimus; neque si non manducaverimus, deerit nobis. (1 Cor. 8, 8.) Hoc est dicere: nec illa res me copiosum faciet, nec illa aerumnosum. Audivi et alteram: Ego enim didici, in quibus sum sufficiens esse: et abundare novi, et penuriam pati novi; omnia possum in eo, qui me confortat. (Phil. 4, 11. ss.) Ecce miles castrorum caelestium, non pulvis, quod nos sumus. Sed memento, Domine, quia pulvis sumus, et de pulvere fecisti hominem, et perierat, et inventus est. Nec ille in se potuit, quia idem pulvis fuit, quem talia dicentem adflatu tuae inspirationis adamavi. Omnia possum, inquit, in eo, qui me confortat. Conforta me, ut omnia possim. Da quod jubes, et jube, quod vis. Iste se accepisse confitetur, et quod gloriatur, in Domino gloriatur. Audivi alium rogantem, ut accipiat: Aufer a me, inquit, concupiscentias ventris. (Sirach. 23, 5.) Unde adparet, sancte Deus meus, te dare, cum fit, quod imperas fieri. Docuisti me, pater bone, omnia munda mundis; sed malum esse homini, qui per offensionem manducat (Rom. 14, 20); et omnem creaturam tuam bonam esse, nihilque abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur (1 Tim. 4, 4.); et quia esca nos non commendat Deo (1 Cor. 8, 8.); et ut nemo nos judicet in cibo, aut in potu (Col. 2, 16.); et, ut qui manducat, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non judicet. (Rom. 14, 3.) Didici haec; gratias tibi, laudes tibi, Deo meo, magistro meo, pulsatori aurium mearum, illustratori cordis mei. Eripe me ab omni tentatione. Non ego immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio, Noë omne carnis genus, quod cibo esset usui, manducare permissum; Eliam cibo carnis reffectum; Iohannem, mirabili abstinentia praeditum, animalibus, hoc est, locustis in escam cedentibus non fuisse pollutum. Et scio, Esau lenticulae concupiscentia deceptum;